



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 105. Albani Cardinalis extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

necnon sub Sixto V. Portuensis, atque Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
Ostiensis Episcopus creatus die decima  
octava Martii sacri Collegii Decanus  
Romæ anno ætatis suæ septuagesimo  
secundo fati cessit, ac corpus ejus in  
Ecclesia sanctæ Mariæ ad Thermas se-  
pultum quiescit. Hic idem Cardinalis  
Novarræ Seminarium erexit, ibidem-  
que Synodum celebravit, cujus decreta  
typis edita prostant.

## §. CV.

*Albani Cardinalis extrema.*

Tertius ex Cardinalibus hoc anno mor- Ciac. l. 3.  
pag. 1062.  
Vitt. l. c.  
Gabut in vit.  
Pii V.  
tuis erat Joannes Hieronymus Al-  
banus natione Italus Bergomi anno  
Christi millesimo quingentesimo quarto  
natus ex Comite Francisco Albano, qui  
Filium suum humaniorum literarum,  
necnon sacrae, ac profanae jurispruden-  
tiæ studiis solerter imbui curabat, unde  
Joannes in his scientiis magnum quidem  
fecerat progressum, semper tamen ma-  
jorem ad arma propensionem præfese-  
rebat, ubi etiam tam præclara fortitu-  
dinis suæ specimina edebat, ut a Ve-  
netorum Republica præceteris selectus  
supremo exercitus imperio donaretur,  
quo in munere victoriis clarus a Senatu  
in præstiti obsequii præmium Bergomi  
in patria sua supremum Magistratum  
obtinet, ibidemque connubio junctus  
plures

Sæcul. XVI. plures susceperat proles: ast evolutis  
 aliquot annis uxore orbatus ad secun-  
 das nuptias transire tardabat: interea  
 vero, cum adhuc in ditone Veneta mo-  
 raretur, Alexandrino Cardinali, qui  
 tum Inquisitoris munere ibidem funge-  
 batur, arcta amicitia junctus erat, at-  
 que in variis occasionibus meriti sui  
 præstantiam, profundam jurispruden-  
 tiæ scientiam, necnon suum Religio-  
 nis studium satis comprobatum eidem  
 reddebat, quapropter hic Cardinalis,  
 dum sub nomine Pii V. Divi Petri Ca-  
 thedræ conscenderat, præclari hujus  
 Viri memor Romam eum venire roga-  
 vit, eumque primo Pœnitentiarium  
 Apostolicum, postea autem Marchiæ  
 Anconitanæ Governatorem nominavit,  
 tandem Albanus anno Salutis nostræ  
 millesimo quingentesimo septuagesimo  
 Romana purpura decoratus titulum  
 sancti Joannis ante portam Latinam ob-  
 tinuit. Ceterum Albanus erat in con-  
 cepto semel proposito immotus, in con-  
 versatione liber, nec minus, quin ullum  
 offenderet, in proferendis salibus fa-  
 cetus, necnon in dicenda sententia sa-  
 pientissimus, tantumque nomen sibi  
 apud Purpuratos comparabat, ut Gre-  
 gorio XIII. satis sancto anno post Chri-  
 stum natum millesimo quingentesimo  
 octogesimo quinto in Papam electus  
 fuisset,

fuiſſet, niſi ejus proles, quas ex legi-  
 timo ſuo connubio ſuſceperat, regi-  
 minis ſocios fore, nonnulli pertimui-  
 ſent. Obiit Romæ octoginta ſeptem  
 annos natus Sabbatho die vigefima quin-  
 ta Aprilis, ſepultusque eſt in Eccleſia  
 ſanctæ Mariæ de Populo. Scripſit tra-  
 ctatum latinum de immunitate Eccle-  
 ſiaſtica, quem anno reſtauratæ Salutis  
 milleſimo quingentefimo quinquageſimo  
 tertio Julio III. Pontifici nuncupabat:  
 edidit quoque alium tractatum de po-  
 teſtate Pontificis, & Concilii anno Chriſti  
 milleſimo quingentefimo quinquageſi-  
 mo quinto Lugdunenfibus, ac tertio  
 poſt anno Venetis literis excuſum, in-  
 ſuper conſcripſit aliud opuſculum de  
 donatione Conſtantini, necnon tracta-  
 tum de Cardinalibus.

§. CVI.

*Cardinalis de Rubeis mortuus.*

Quartus erat Hyppolitus de Rubeis pa-  
 tria Parmenſis, non modo Majorum  
 nobilitate celebris, ſed etiam pro-  
 prio virtutum, atque eruditionis me-  
 rito clarus, & Theologiæ ſcientia, nec-  
 non jurisprudentiæ laude conſpicuus.  
 Is anno Chriſti milleſimo quingentefimo  
 trigefimo ſecundo natus Patrem habuit  
 Petrum Mariam ſancti Secundi Comi-  
 tem, Matrem vero Camillam de Gon-  
 zaga,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.

Ciac. tom. 4.  
 pag. 157.  
 Ughel Ital.  
 Sacr.

*Hiſt. Eccleſ. Tom. Ll.* N zaga,